



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Rosa In Hieme**

**Mertz, Martin**

**Antverpiæ, 1627**

Capvt VIII. Examine particulari nouum hominem extruit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42750**



52 VITA WILHELMI ROTHENSIS  
ex alio aggressus, & mortificationis gladio  
succidens, breuî eò deuenit, vt summâ  
menti malaciâ procreatâ tranquillum om-  
nia possiderent, neque vllus turbo vel pro-  
cella vsquam quietem interturbare aude-  
rent; vel si caput surrigere conarentur, quod  
humanum est, mox velut potione medi-  
ca consopita, vel veriùs iugulata, subside-  
rent, ipsùmque indemnem ac victorem  
relinquerent.

### C A P V T V I I I .

*Examine particulari nouum homi-  
nem exstruit.*

**E**ADEM compendiosa sagacitate in ve-  
nandis virtutibus & vero animæ deco-  
re utebatur; vt non minùs virtutes, præfer-  
tim quibus magis indigere sibi visus fuit,  
aut quas magis ad ornatû facere perspexit,  
vt & eas quæ animum plus inflammare,  
Deo que intimiùs coniungere solerent, hac  
ratione comparauerit, quàm mala extirpa-  
uerit. Sed vt rem meliùs quisque percipiat,  
lubet ab eo descriptum modum, & exem-  
plis ab eo vsurpatis illustratum, adnectere.  
Hoc examen propriè spectat & valet ad  
vnum certumque vitium breui tempore  
extirpandum, verbi gratiâ Cholere; & bo-  
num



num aliquod certum consequendum: id-  
 que hoc pacto, vt fiat minimum bis in die,  
 manè prandium circiter, & vèspèri ante-  
 quam eamus cubitum. Die Dominico ma-  
 nè consideres quoties eo die, v.g. cholerâ,  
 peccaris ad prandium vsque: & si contigit  
 vt v.g. quinquies, quinque puncta in priori  
 linea eius diei signes; si sæpius, plura puncta  
 iuxta numerum delicti adnotes. Vespèri  
 autem pari ratione teipsum erga hoc vi-  
 tium excutias, sed numerum puncto-  
 rum in posteriorem lineam eiusdem diei v.g. Do-  
 minicæ reiicias, quæ dubio procul pauciora  
 erunt quàm ante prandium: hocque eo-  
 dem modo in singulos dies vtare; neque  
 ambigas mox futurum, vt circa idem vi-  
 tium nihil omnino aut certè parum dein-  
 ceptenteris, si tamen debito modo & stu-  
 dio omnia peragantur, & cum proposito  
 emendationis firmo. Quod ad bonum ve-  
 rò certum aliquod consequendum, idem  
 ipse modus seruetur, verùm in altera parte  
 tabulæ; vt sicut antea in priori notabas  
 puncta peccati, sic iam sequenti huius vir-  
 tutis, v.g. laudandi Deum, actus, eorumque  
 multitudinem, vt dictum est, signes, &c.  
 Hoc exercitio fit vt peccatum semper de-  
 crescat, virtus quàm maximè augeatur.  
 Hæc ex pijs exercitiis propria manu ab eo



54 VITA WILHELMI ROTHENSIS  
scriptis exscripti. Et sanè hac ratione mira-  
bilem virtutum profectū consecutus fuit,  
præsertim illius, quam pro exemplo anno-  
tauit, scilicet laudandi Deum : quam adeò  
apprehendit , vt quocumque loco foret,  
semper laus Domini in ore & corde eius  
versaretur; nec vlla ratione, neque ipsa no-  
cturna quiete, à Psalmis & hymnis corde &  
ore Dilecto suo concinendis cessabat.

### C A P V T I X.

*Studium orationis in VVILHELMO  
frequens ac deuotum.*

**N**OTVM exploratumq; habebat VVIL-  
HELMVS noster, CHRISTVM Domi-  
num, vt pium Magistrū, illud inter reliqua  
consilia seu iussa seriò suis Discipulis incul-  
casse, vt vigilarent & orarent, ne intrarent  
in tentationem: oportere enim semper ora-  
re, & numquam deficere, eò quòd callidi  
& validi hostes assiduè contra nos stent in  
procinctu, insidiantes quasi leo in spelunca  
sua, insidiantes calcaneo nostro, circum-  
euntes quasi leo rugiens, quærentes quem  
deuorèt: quibus resistere nos oportet fortes  
in fide, cōstantes in charitate; quæ virtutes  
ne deficient, oratione fulciri & frequenti  
& feruida volunt. quod Christus ipse indi-  
cavit,